ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Per-illustri Dno,

D. Constantino Hugenio, Equiti, Zulichemi Dno, Celsiss. Princip. Auriacae a Consil. et Secr.

Παραδείσῳ, observandiss. Maecenati ac Patrono suo S.P.D.
Henricus Bruno

Decretum est mihi hodie geminum triumphare triumphum, Maecenas vir ampliss.e de patre et te patrono: de illius ingratam mutata in melius voluntate, de tua, si non ira, certe indignatione anticipata. Nam non destiteram pluribus ne in otium dando tuum V.A. et publica commoda peccem. Scripseram patri, alienum mihi si cuiquam animum esse ab scholastico pistrino, nec adeo aut hujus pertaesum spartae, aut insanire huic homini incepit, ut in asinarias ejusmodi molas dari cupiat, tum nec aetatem nec mores convenire, nec vultum denique. Sed ut inquit Graeculus — εἶδος ἄξιον ταύτης τυραννίδος, et praeceptores ab imperita pueri adducto supercilio, vultuosa et caperata fronte, opacitate barbae fere constare, quorum nec hoc esse, nec illa nisi carceris istius amore ubi — ἄλλος ἄλλος. [illegible] totum Brunonem conceptis verbis ejurare vellem, posse: haec ego καὶ τἄλλα τὰ τοιαῦτα [illegible]. Ille, ut verbo dicam, his rationibus acquievit. Itaque, bonum factum, nunc jam me Amstelodamum illuc eo, et nulla mora est quin molestissimis quibus distringebar imo quae eripiebant me mihi curis defunctus, defaecato animo tibi inserviam; et tibi, cujus incomparabili et supra mortales humanitati sola comparari admiratio potis est, quanta necessitas ignoscendi si quid novissime offenderim, imponatur vides: et ego tum demum objurgandus forem, si de venia tua ambigere animum inducerem. Sed enim [illegible] verum satis in his gerris. Tantum esto. Caeterum quod jusseras, A. Dne, ut ad Mirkinium de pastore aliquo Zulichemi constituendo scriberem, feci jamdudum, sed nihil dum responsi huc perlatum. Nisi in alio jam alibi sis (ubi autem non es?) quidem novi juvenem, cujus, compendio loquar, nec te, A. Dne, accepti paeniteat, nec me commendati. Hoc elogium auferat ille in transcursu, non in transcursu alias nominandus. Pontanum nunc, et Casparem, non Pop. Quirit. Romani tantum, sed et omnium omnino qui vel versa vel prosa, quod ait ille, scripserint authorem, ex praescripto tuo aggressi sumus. Constantinus orationem nuper et carmen unum alterumque contexuit, quae jam ab eo missa credo. Praeconia quid attinet dicere? αὐτὸ τὸ πρᾶγμα βοᾷ. Mira scilicet te doceam, A. Dne, Constantinum Constantinum esse. Librum poetarum [illegible] v. prope ad umbilicum perduximus, quum [illegible] ad Orcam propediem ducturi. Ludovicus [illegible] Commenio ceteri libr. Reidani Annalium postremo transferendo occupatur. Vale saeculi τὸ μέγα θαῦμα, et quod omnes uno ore fatentur, virtute atque eruditione vir juxta admirande. Haga-Com.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 116
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2481

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 116
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2481

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 116
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2481

Mijn Heere,

Mijn Heer van Zuilichem etc.

In° 8

Leger

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 116
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2481